



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum XXX. Sirenes, blanda & perniciosa maris monstra.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## SYMBOLVM XXX.

Sirenes, blanda &amp; pernicioſa maris monſtra.

Odyſſ. μ. Metam. 5.

## Ethicè.

1. Damnoſa Voluptas. 2. Quid Sirenes in S. Scriptura. 3. Qualia monſtra ſint phyſicè. 4. Cantus laſcivi. 5. Tres Sirenes Gula, Inertia, Luxuria. 6. Religioſus eſt Vlyſſes allegoricus adverſus Sirenes. 7. Litteræ præſidium contra Sirenes. 8. Sirenes ſunt adulatores, 9. Muſarum de Sirenibus victoria.

Sirenes *Acheloi* Fluvij, & *Calliopes Muſæ* (nam Poëtæ etiam his Virginibus Hymenæum canunt) filia, nomen habent vel à *σειρεν*, ſeu *connectere* vel *retinere*; vel à *σειρα*, *catena*, eò quòd libidinis vinculum Sirenes fuere. Sunt, qui hoc nomen à *σειρω* traho deducant, unde fit, ut i Latinum per y ſcribant. Tres numerantur, *Parthenope*, *Leucocofia*, *Ligia*; monſtra fuere marina, ſuperiore corporis parte virgineam formam, inferiore piſcem referentia; quarum una, *voce*, altera, *tibijs*, tertia, *lyrà*, ſeu citharà canebat, tam blandè quidem, ut præternavigantes in profundiffimum ſonnum traherent, ſopitòſque vel cum navibus in ſcopulos alliderent, vel in mare detractos necarent, tanto numero, ut littora naufragorum oſſibus alberent. Hinc Virgil. 5. *Æneid.*

de Claſſe *Æneæ* :

Jámque ad eò ſcopulos Sirenium adveſta ſubibat,  
Difficiles quondam, multorúmque oſſibus albos.

Primò juxta *Pelorum* Siciliæ promontorium; poſt in *Capharèis* inſulis habitàſſe finguntur. Ovidius 5. *Metam.* tradit, has fuiſſe *Proſerpinae* ſocias, mira ſuavitate canendi præditas, eámque raptam à *Plutone*, diu quaſiſſe; quâ non inventâ in terris, optâſſe alas à ſuperis, earum ut remigio poſſent ſuper aquas ferri, & amiſſam, mari quoque inquirere; móxque capiffiſſe veſtiri pennis, & avium more volâſſe.

Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures,  
Tantâque dos oris, linguæ ne perderet uſum,  
Virginei vultus, & vox humana remanſit.

De



De iisdem idem lib. 3. art. amand.

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora

Quaslibet admittas detinere rates.

Pluribus eas describit Claudianus in epigram de Sirenibus:

Dulce malum Pelago Siren, volucrésque puellæ,

Scylléos inter fremitus, avidámque charybdin

Musica saxa fretis habitabant dulcia monstra.

Blanda pericla maris: terror quoque gratus in undis;

Delatis licet huc incumberet aura carinis,

Implesséntque sinus venti de puppe ferentes,

Figebat vox una ratem: nec tendere certum

Delectabat iter: reditús odiúmque juvabat;

Nec dolor ullus erat, mortem dabat ipsa voluptas.

Ad has maris ac hominum incantatrices *Ulysses*, captâ Troiâ redux, delatus, dicitur sociorum aures cerâ occlusisse, ne illarum cantus audirent; ipse autem ad navis malum alligari voluit, ne blanditiarum illecebris caperetur; quam ob causam sese contemptas rata Sirenes, in mare præcipites abierunt. Vide Symbol. 71. Orpheus quoque cum illac præterveheretur cum argonautis, & meliore cantu Sirenum modulos retunderet, illæ desperatione captæ, instrumenta musica in mare abjecerunt. Sed quia post Orpheum *Ulysses* ad eas oras appulit, & infidiatrices vix evasit, credibile est, Neptuni beneficio, recuperâsse, quæ projecerant arma canendi. Pausanias in Bœoticis refert, à Sirenibus aliquando, Junonis suasu Musas canendo provocatas, cumque hæ vicissent, Sirenibus alas suas à Musis evulsas, coronasque ex illis factas, in ornamentum capitis & victoriæ trophæum cessisse.

### Ethica.

I. (a) Multa his commentis adumbravere Poëtæ. Nempe voluptatum illecebræ (ut habet Cicero 1. Paradox.) mentem à sua fede ac statu dimovent, corrumpunt animum, nullaque capitalior pestis à natura hominibus data est. Quas qui sequitur, miserandum rationis facit naufragium: qui declinare cupit, earum incantamentis aures non præbere, sed occludere debet. Atque hoc indicat Natalis Comes Mythologiæ lib. 7. c. 13. Ego, inquit, Sirenum cantus, ac Sirenas ipsas nihil aliud esse crediderim, quam voluptates & earum titillationes. Hæ ad

(a) *Damnosa voluptas.*



ad exprimendam mortalium naturam, partim *bellua*, partim *virgines* videbantur; quia monstro propriè similis est is, qui non rationi & consilio, sed cupiditati parer, cum altera pars illius homo sit, altera bellua. Cum enim vis animæ nostræ alia sit compos rationis, alia ratione careat, quo pacto non habet quisque intra se inclusas & latentes Sirenes? aut qui nihil habeat nisi formam corporis cum homine commune, nullaque ratione utatur, sed huc illuc feratur pro animi impetu, quocunque libido, & appetentia, & cupiditas tulerit. Si quis igitur calamitates devitare voluerit, is ad Voluptatis lenocinia Vlyssis exemplo aures obturet, necesse est: aut Orphei, reliquorumque virorum Sapientum monitis pareat, eosque solos audiat. Hæc Mythologus.

Illæ Sirenum fallacia consistebat in eo, ut quibus rebus maximè quisque audiendis delectaretur; eas præcipuè canerent. Ambitiosos & gloriæ cupidos captabant eorum rebus gestis cantandis; Hinc Vlysses alliciebant laudando:

Huc age, flecte ratem, Graiorum gloria Vlysses,  
Flecte ratem celerem, nostras & percipe voces &c.

Ad demulcendos libidinosos res amatorias canebant; testis Martialis lib. 3. ad Cassianum:

Sirenas hilarem navigantium pœnam  
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,  
Quas nemo quondam deserebat auditas,  
Fallax (b) Vlysses dicitur reliquisse.

Omnino typus hic est illecebrosa voluptatis, quæ ut dolosius decipiat, virgineos simulat vultus, & prima fronte honestam oblectationem, amicitiam, familiaritatem præfert; sed ubi paulò blandius animum subintravit, in belluinam & brutam libidinem desinit. Sirenes, ut nequius fallerent, speciosa sibi nomina imposuerunt; nam *Parthenope* virginem, *Leucosia* candidam, *Ligia* à Græco λιγείον, quod canoram sonat, aut à λιγέως dulciter, quod ad sermonis & colloquij fertur illicium. O fallaces larvæ, & alia omnia, quàm quæ nomine præfertis, vapido pectore molientes! Sapientiæ 5. Vita nostra comparatur navi, quæ pertransit fluctuantem aquam; totque jactatur fluctibus, quot cupiditatibus. Et ipsa sæpe malacia plus periculi habet, quàm tempestas: quique videntur leniter spirare Zephyri, sæviores sunt Aquilone. Audiamus D. Hieronymum in epistola ad Heliod. Et ego non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum, & indoctus nauta præmoneo: sed qua-

(b) Versus.



si nuper naufragio eiectus in littus, timida navigaturis voce denuntio: In illo æstu, charybdis luxuriæ salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitia perperanda naufragia Scyllæum renidens, libido blanditur. Hic barbarum littus, hic Diabolus pirata cum socijs portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi; licet in modum stagni refluxum æquor arrideat, licet vix summa elementi terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus est periculum, intus hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus. Hæc S. Doctor.

Sirenes dum canunt, mergunt. Socrates apud Stobæum: Δεῖ ὡς περ σειρήνας τὰς ὕδοναίς παρελθεῖν, τὸν σπεύδοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὡς περ πατρίδα, id est: Oportet voluptates præterire velut Sirenes eum, qui virtutem, tanquam patriam intueri desiderat. Quibus verbis alludit ad Vlysssem, cerâ obturatis auribus (quod dicemus) præternavigantem Sirenas, ut Ithacæ patriæ fumum subsilientem cerneret. Longè dulcior nos vocat patria Cælum, cuius desiderio qui tenetur, eum oportet malæ voluptatis illecebras negligere & aspernari.

S. Ambrosius in psal. 43. Illecebriferos Sirenum cantus eleganter, ut solet, ad hoc ipsum argumentum applicat. Sirenes, inquit, quasdam fuisse puellas gentilis tradit historia: quæ vocis suavitate, canendi illecebris, audiendi studio illectos iravigantes ad littus admoveere navigia inducebant, eosque (cùm gratiam vocis sequerentur) scopuloso in loco naufragium facere solitos, vetustas posteris tradidit. Ita sæculi voluptas nos quadam carnali modulatione delectat, ut decipiat. Vt ergo illic non littus in vitio erat, sed canora dulcedo: ita non caro invitio, sed ea, quibus caro ista sollicitatur & fluctuat. Et comment. in Luc. lib. 4. in proœmio. Sic Vlysssem, inquit, ut fabulæ ferunt (licet & propheta Isaias dixerit c. 13. *habitabunt in ea filia Sirenum*) post decem annorum exilia, quibus bellatum in Ilio est: decemque erroris annos, festinantem ad patriam, Sirenes cantu vocis illectum, ad illud famosum voluptatis naufragium penè deduxerunt, nisi adversus illecebrifera sonitus cantilenæ, insertâ cerâ sociorum clausisset aures. *Et subjungit*, animam, Vlyssis exemplo, ad crucis lignum spiritualibus nexibus vincendam, ne lascivarum rerum moveatur illecebris, cursumque naturæ detorqueat in periculum voluptatis.

II. (c) De Sirenibus locus Isaiæ cap. 13. sic habet: *Et erit Babylon*

(c) *Quid sirenes sint in S. Scriptura.*



bylon illa gloriosa in regnis, inclita superbia Chaldaeorum: sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non habitabitur usque ad finem, sed requiescent ibi bestia, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones: & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi ulule in aedibus eius, & Sirenes in delubris voluptatis. Quibus verbis describit interitum, desolationem ac vastationem Babyloniae à Cyro inferendam. Vbi per pilosos intelligit Faunos & Satyros, hoc est, daemones, scilicet qui in silvis & locis desertis apparent hirsuti specie hircorum, quasi Dijnemorum; de quibus idem Propheta cap. 34. ubi agit de excidio Idumaeae, aitque terram illam futuram cubile draconum & pascua struthionum, subdit: *Et occurrent daemones onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem*, id est spectra diabolica partim hominem, partim equum vel asinum referentia, aut pilosum hircum mentientia, & speciem colludentium & saltantium praefertentia. *Lamia*, sunt daemones succubi, qui *Empusa* dicuntur, de nocte monstrosis formis hominem terrentes. Sed redeamus ad cap. 13. Isaiae. *pilosus saltabunt ibi*, nempe larvati daemones, sicut lascivientes hoedi, militarem in modum è diversis stationibus emissi, adversis frontibus congregentur, insultabunt & arietabunt. *Sirenes in delubris voluptatis*, scilicet habitabunt, id est, ut S. Hieronymus ait, aut monstra, aut dracones magni, cristati & volantes: hi enim ferè sunt in locis desertis & devastatis, horumque speciem saepe assumunt daemones. Tropologicè, Siren, inquit D. Basiliius, est daemon, qui animam voluptate allicit & decipit. *In delubris voluptatis*, hoc est, in palatijs voluptuosis (Babylon enim erat constructa, & comparata ad omnem voluptatem & pompam) post excisionem pro delicijs erunt in delicijs dracones, pro citharcedis ululae & bubones, pro famulis & asseclis Fauni & Satyri horribiles.

III. (d) Atque ut Physicum etiam aliquid de Sirenibus referamus. Siren est species monstri aquatici & marini, ore & pube tenus virgo, infernè piscis, qualis nostro saeculo in Frisia caprus, vixit inter homines multos annos, didicitque nere. Cornel. in hunc locum. Memorabile est, quod de Sirenibus refert Franciscus Sacchinus in historia Societatis nostrae lib. 4. parte 2. ad annum 1560. In insula Manaria, quae ducentis à Goa, Indiae metropoli, leucis distat, dum Dimas proregis medicus, & P. Henricus Henricius familiariter inter se agunt, adsunt velut stupentes, magnisque cum clamoribus piscatores, patrem Henricum ad suas ut iret scaphas, rogantes, spectatum ingens naturae miraculum.

(d) Qualia physice sunt monstra Sirenes.



raculum. Pisces novem feminas, septem mares, quos propter similem humanæ speciem marinos homines nominabant, in retia incidisse. Accessere ambo ad mare, Henricus & Medicus. Atque hic post diuturnam admirationem singula attentius è sectionum disciplina scrutatus, hæc adnotavit: Caput erat figura rotundum, nulla colli intercapedine trunco compactum: extrema aurium fibræ seu auriculæ, ex cartilagine, carne eleganter vestitæ: quarum interior pars aptissimis formata anfractibus, veram hominis referebat aurem. Oculi suis ornati palpebris, sitûque & colore non piscis, sed quos hominis judicares. Nasus non nihil aberrabat, malam inter utramque non usquequaque eminens, sed leni tramite bipartitus. Sub eo, labra magnitudine, speciëque nostris simillima. Dentium, non quales sunt piscium generi, ferratiliû, sed planorum, & candidissimorum continua series. Pectus alba cute contextum hinc atque hinc paulò latiùs, quàm pro corpore, in mammas extuberans: neque eas feminis pendulas, sed quasi virginibus globosas: quarum uni cum papillam pressisset medicus, ingens exiliit lactis copia miri candoris. Brachia non rotunda, sed latiora, quasi ad natandum facta, duorum longitudine cubitorum, nullis tamen ipsa cubitis, ulnis, manibus, articulisque distincta. Sub alis mollissimus pilus ac longus. At in administris propagandæ sobolis membris nulla ab humanis in utroque sexu distinctio. Agnosceres, qua re homines simillimi sint belluis. Post hæc, veluti de Sirenibus olim Poëtæ cecinerunt, in piscem caudâ desinebant bisculcâ. Hæc Sacchinus. Magis ad nostrum propositum facit, quod recenset P. Petrus Doultemannus in lib. de amore increato cap. 1. sect. 9. Non pauci, inquit, hujus generis pisces (de Sirenibus superiorem narrationem præmiserat) visuntur in Brasilia, quos barbari *Ibupiapra* indigitant, eosque sic horrent, ut nonnunquam ad eorum conspectum metu exanimentur. Vultus eorum satis formosus, præterquam quòd oculos profundiores gestant, feminae etiam capillos longiores. Ostia fluviorum amant; & sæpe conspiciuntur infra *Iagoraripe*, septimo aut octavo à Baia lapide; ubi fama est non paucos barbaros ab ijs esse inter amplexandum præ nimio amore suffocatos; imò aiunt, ubi sic temerè encârint, gemitus atque alta eos suspiria, luctûs sui indicia, emittere. Habes hic, ut ad mores me referam, expressam malæ voluptatis imaginem, quæ dum amatoribus suis blanditur, dum eos amplectitur, dum dissuaviat, præsentissimum interitum adfert. Cogita *Zambrin*, illum Hebræum Principem cum Cozbaæ Madianitide puella



puella fœdè consuescentem, & ea corporis parte, qua peccabat, vindicem *Phinea* pugionem, cum amasia sua recipientem. Num 25.

IV. (e) Per Sirenes etiam denotantur Cantores & Cantatrices, quos Salomon Ecclesiastæ 2. vocat *delicias hominum*, à quibus & ipse turpiter incantatus est. Puerorum, ac præsertim feminarum vox est mollior, dulcior, delicatior, & ad effeminandum animum potentior. Unde Prov. 5. dicitur: *Favus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus.* Quocirca S. Hieronymus ad *Furiam*, mandat, ut Fidicinas, & psaltrias, & istiusmodi chororum diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina proturbet ex aëdibus suis. De his D. Ambrosius cit. loc. in Lucam. Quid sibi vult puellarum (cantantium) figura, nisi evirata voluptatis illecebra, quæ constantiam capræ mentis effeminat? Quæ autem illa vada, nisi nostræ scopuli sunt salutis? Nihil enim tam cæcum, quàm secularis suavitatis reticulum, quæ dum mulcet animum, vitam obruit, & corporeis quibusdam scopulis sensum mentis illidit. Et S. Augustinus lib. de decem chordis. Quid prodest delectari canticis ad tempus turpibus, in posterum amaris? Talibus enim turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, & decidunt à virtute, defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt, quod cum magna dulcedine biberunt. Consonat Theodoretus in Gen. quæst. 47. Vbi ait, filios Sethi à parente suo optimè institutos, perditis filiarum Caini amoribus corruptos fuisse, illectos instrumentis canentium cithara & organo, quæ *Inbal* ipsarum pater confecerat. Quare sicut Sirenarum scopuli, illæ quoque Comœdiæ fugiendæ, quarum argumentum molle & fractum, mollioribus etiam modulis lascivit, & ad flagitium invitat.

V. (f) Meritò verò Sirenes à *trahendo, neſcendo, tenendo, catenando* dicuntur, nam quos voluptatis illecebra semel implicavit, altissimè tenet & vincit, ne elabantur. Trahit autem vel cantu, vel visu, vel consuetudine. De qua S. Augustinus lib. 8. Confess. c. 5. Suspirabam ego, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Hinc tres esse Sirenes dicuntur, & triplici allicere cantu. Et celebre est illud:

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequenti

V 3

Tres

(e) Cantus lascivi. (f) Per tres Sirenes tria vitia indicantur.



Tres scilicet exitiales honestatis pestes: *Gula, inertia, Læxuria.*

(g). Quod autem Sirenes ab Vlyssæ sprete in mare sese immerferint, indicatur, quantum valeat actus virtutis heroicus unus. Vna namque victoria de hoste strenuè relata facit ipsum timidiorum ad novos insultus; imò sic debilitat & frangit, ut non audeat in certamen redire. Et plerumque si primos libidinis motus cordatè represseris, posteriores languidiùs incurunt. Et quid aliud significant aures Sirenum cantibus obseptæ & oclufæ, quàm primis tentationum illecebris oculos atque aures tam corporis quàm animi non esse aperiendas?

VI. (h) PP. nostri Belgæ in *Imagine Societatis* Castitatem Religiosam voto adstrictam ingeniosè per Vlyssæ ad malum navis religatum, & aures manibus admotis obsepientem exprimunt, frustra circa navigium ludente Sirenum choro; cum lemmate,

---- canitis surdis, canitisque ligatis.

Vltimi versus epigrammatis hi sunt.

Vincula vota mihi, crux malus, Typhis JESU S,  
Pro pelago lacrimæ, pro statione Deus.

Anchora Spes, Cor, acus, velum Suspiria, clavus  
Firma Fides, ventus Gratia, remus Amor.

VII. (i) Orphei cantum adversùs Sirenum blanditias prævalentem, disertissimus Muretus eleganter accommodat ad sapientes juventutis litterariæ institutores. Placet ejus referre verba: Memoria proditum est, Jasonem olim, cateròsque Argonautas cum eam insulam, quæ ab amicitate, florùmque copia nomen invenerat, præternavigarent, periculùmque esset, ne molli ac delicato Sirenum cantu, quæ eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur; unum in Orpheo perfugium habuisse; qui cum esset in puppi, simulque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, quæ feras nemoràque traxerat, explicare capisset, tanta simul aures, animòsque audientium voluptate complevit, ut jam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicant? Florida videlicet illa insula, Juventus est. Eam qui quasi prætervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditijs decepti, & à recto tramite abducti, in vada & scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparandum remedium est? Quod, nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis Lyra? cujus suavitatem

(g) Primis tentationum illecebris resistendum. (h) Vlyssæ allegorici adversùs Sirenes Victoria. (i) Litterarum profusio Sirenum cantus spernuntur.



tatem, qui percipiunt, ij & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem institutum iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. Orat. 2. de laud. litt.

VIII. (k) Hæc satis de Sirenibus, si adjecerimus, à Mythologo perniciosas earum illecebras ac voces, etiam ad adultores transferri, qui eos, quibus assentantur, in profundissimum somnum inducunt, ut non videant, quid differat amicus ab adulatore; quoniam hujus suavior est auribus oratio, itaque fit, ut, dum nullus amicitiae, sinceritati, justitiae patet locus, auditores creduli gravibus involvantur malis.

IX. (l) Sed quid? propè oblitus fuisset dicere, quid sibi velit, quoddam Musæ è devictarum Sirenium pennis, coronas sibi texuerint. Nimirum denotatur, ad pravae voluptatis insidias superandas, nihil esse validius, quam animum procul ab ignavia habere, & ad litterarum studia strenuè applicare. Nam ubi mens ingenuis curis occupatur, & amore liberalium artium tenetur, facile spernit voluptates & generoso repellit fastu, quidquid molliùs blanditur: unde consequitur, ut domitiae cupiditates vires suas, velut alas amittant, & victori in præmium virtutis, ac etiam doctrinae cedant. De Sirenibus extat emblemata 115. Alciati: cui adijunge lemma: *Dum vocant, vorant.*

(k) Per Sire: es etiam adultores intelliguntur. (l) Musarum de Sirenibus via gloria ac corona quid significant.

## SYMBOLUM XXXI.

Triptolemus, mirus Cereris alumnus.

s. *Metam.*

Ethicè.

1. Magna vis educationis in utramque partem.
2. Igniculi primi naturæ.
3. Laus agriculturæ.
4. Commendatio laboris.
5. Beneficentia colenda.

**F**uit hic *Celei*, regis Eleusini (est Eleusis civitas Attica, non longè Athenis sita) filius. Ad hunc regem fortè Ceres, dum raptam à Plutone filiam undique quærit, diverterat, ab eoque liberalissimè fuit habitata. Dea remuneratura humanitatem hospitij, omne genus agriculturæ